

cessum; de illis ergo Abbatibus dubium est, an possint tunc Ordines conferre in suis monasteriis. Et quidem, quod de jure communi non possint, neque etiam ex antiquis privilegiis Cisterciensibus, aut aliis similibus, certum est, quia in eis non invenitur concessum. Nihilominus aliqui id affirmant ex privilegiis concessis Cisterciensi familiæ in Hispania. Primum est dictum privilegium sextum concessum ab Eugenio IV, anno 1437, ubi vult, ut *Abbatibus triennales, licet eis munus benedictionis non impendatur, omnibus, et singulis honoribus, præminentis, privilegiis, prærogativis, juribus, et insigniis Abbatibus fungi possint.* Hæc autem verba nimis generalia sunt, et de illis merito dubitari posset, quia potestas conferendi ordines est privilegium valde speciale. Tamen privilegium Julii II supra relatam omnem tollit dubitationem, quia expresse et in specie concedit his Abbatibus triennialibus potestatem insigniendi clericali caractere, quam habebant perpetui; quid autem per characterem clericalem ibi intelligendum sit, infra dicemus. Aliæ item concessionem de hac re citantur in Compendio Cisterciensi, verbo *Abbas*, § 4 et 5.

Octava quæstio, an per hæc privilegia soli subditi religiosi nunc valeant ordinari.

18. Octavo interrogari potest, an hæc potestas etiam nunc limitetur ad solos subditos religiosos. Ratio dubitandi sumitur ex cap. *Abbatibus*, de Privilegiis, in 6, ubi expresse conceditur his Abbatibus, ut possint primam tonsuram conferre monasteriorum suorum conversis, et qui ad illa convolaverint, et in quos ecclesiasticam et quasi Episcopalem jurisdictionem obtinent. Deinde Innocentius VIII, anno 1489, concessit Cisterciensis ordinis Generali, et quatuor præcipuis Abbatibus (et est privilegium 118), ut possent omnes ordines minores personis ejusdem religionis intra monasteria prædicta conferre; imo ibidem refert antea hoc ipsum fuisse ab Apostolica Sede illis concessum; quæ concessio non limitatur ad subditos, sed extenditur ad omnes religiosos ejusdem ordinis, quamvis non ad seculares etiam subditos, sicut præcedens, in qua tertium membrum plane intelligitur de secularibus, qui interdum subjiuntur his Abbatibus habentibus jurisdictionem Episcopalem. Unde illa concessio quoad hoc magis ampla est, licet quoad potestatem conferendi sit magis restricta, ut in sequenti quæstione dicam.

19. *Resolutio vera, de solis subditis religiosis*

Abbatibus triennialium. — Sed, licet verum sit per hæc jura seu privilegia amplificatam fuisse antiquam concessionem juris communis, nihilominus quoad Abbatibus triennales videtur restricta a Julio II ad solos subditos, per illa verba: *Novitios, et alios quoscumque dicti monasterii subditos*, per quæ certum est excludi non subditos etiam religiosos ejusdem ordinis; an vero comprehendantur subditi, etiam seculares, dubium est propter illa verba, *alios quoscumque.* Tamen dubitationem abstulit Concilium Tridentinum, sess. 23, c. 10, de Reformatione, ubi statuit, ut amplius non liceat his Abbatibus, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram, vel minores ordines conferre; et infra subdit, non obstantibus quibusvis privilegiis, præscriptionibus, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus. Circa quæ verba dubitari potest, an per illa revocetur privilegium etiam in jure insertum, ut est in dicto c. *Abbatibus*, quia hæc privilegia difficilius revocari solent; sed nihilominus etiam illud revocatum censetur, et ita declaratum invenio a congregatione Cardinalium.

20. *Quoad subditos seculares horum Abbatum ordinatio valet, sed non licet.* — Sed quid si aliquis subditus secularis ordinetur ab Abbate? numquid ille indigebit nova tonsura vel ordinatione? Ad hoc responsum invenio ejusdem congregationis tam manuscriptum, quam ex variis impressionibus, circa citatum c. 10 Tridentini, illum non indigere iterum tonsurari, seu ordinari quoad minores jam receptos, sed solum indigere dispensatione. Unde tacite videtur explicari illud verbum Concilii, *non licet*, ut contineat prohibitionem, non vero auferat potestatem. Nam si potestatem abstulisset, revera illa ordinatio non fuisset valida, quia ignorantia vel bona fides, etiamsi intercedat, non reddit actum validum, quando potestas deest; ergo si ordo bona fide susceptus a tali Abbate fuit validus, non deerat potestas in Abbate, sed solum prohibitus est illa uti circa talem personam. Et ideo dicitur esse necessaria dispensatio, quia per illam ordinationem, quamvis sit datus character, non tamen usus ejus, eo quod sit datus ab habente potestatem impeditam, seu ab alieno, et non a proprio Episcopo, et absque litteris ejus. A quo autem sit danda hæc dispensatio, ibi non explicatur; credo tamen pertinere ad proprium Episcopum ordinati, juxta principia posita in materia de suspensione, disp. 31, sect. 1.

21. *Licet tamen juxta responsionem Car-*

dinalium, si sint Abbates mitrati, etc. — Additur vero, in ejusdem responsionibus Cardinalium circa idem caput Concilii Tridentini, unum valde notandum, scilicet Abbates, qui habent jus baculum deferendi, et mitram, si sacerdotes sint, et benedicti, posse et valide et licite conferre omnes minores ordines, quibuscumque, tam regularibus, quam secularibus, etiam sibi non subditis, si tamen ordinandi habeant dimissorias litteras, a proprio Episcopo, vel Prælato, per quas singulatim et in particulari hanc licentiam præbeat, et consensum etiam Episcopi illius loci, in quo sunt ordines ministraturi. Ex qua responsione plane sequitur, quod si hujusmodi Abbates hos ordines conferant talibus personis sine dimissoriis litteris suorum Prælatorum, ordinatio substantialiter erit valida, et non iteranda, quamvis sic ordinati indigeant dispensatione, propter suspensionem contractam ratione ordinis male suscepti. Consecutio est evidens, quia si Abbas licite hoc faciat, suppositis dimissoriis litteris, supponitur potestatem habere, quia dimissoriæ litteræ non dant illi potestatem, sed solum licentiam, vel jus utendi sua potestate circa talem personam.

22. *Hæc Cardinalium responsio, si authentica est, parit difficultatem.* — Hæc autem omnia videntur repugnare resolutioni traditæ circa tertiam quæstionem, in num. 8. Nam hic clare supponitur potestatem horum Abbatum ex vi suæ benedictionis se habere ad modum potestatis collatæ per characterem, quæ de se sufficit ad operandum circa personam quæcumque, licet ad juste operandum requirat jurisdictionem. Sed nos supra tantum diximus, ex illo jure antiquo septimæ Synodi id non haberi, quod revera videtur sufficienter probatum; fortasse autem per posteriora privilegia id ampliatur est, aut consuetudine idem est explicatum, et in hac consuetudine potissimum videtur fundata illa resolutio; nam de jure aut de privilegio scripto mihi non satis constat. An vero illi resolutioni standum sit, aliis judicium relinquo; nam de auctoritate et certitudine illius responsi, mihi hætenus dubia res est.

Nona quæstio, an dicta privilegia extendantur ad aliquos ordines conferendos ultra lecturatum.

23. *Resolutio affirmativa quoad omnes ordines minores.* — Nono interrogari potest, an illud antiquum jus sit ampliatur quoad potestatem conferendi aliquos ordines ultra lec-

toratum. Ad quod affirmando respondendum est; nam Alexander III, in dicto cap. 1, de Ordinatis ab Episcopo qui renuntiavit Episcopatum, refert, solere aliquos non Episcopos omnes ordines infra subdiaconatum conferre; ergo cum ex jure communi hoc non constet, credendum est ex privilegio factum esse. Item Innocentius VIII commemorat, ut supra retuli, nonnullos Abbates Cistercienses ex privilegiis et indultis Apostolicis hoc posse. Imo Congregatio Cardinalium, in responso supra citato, supponit, omnes Abbates benedictos, habentes jus deferendi mitram et baculum, posse omnes minores ordines conferre, ita ut benedictio illa sit quasi ordinatio quædam conferens hanc potestatem. Potuit enim sub hac ratione a Pontificibus institui; an vero a principio habuerit hanc institutionem, affirmare non possumus, quia non est in jure expressum; sed potius jus cum limitatione loquitur, ut videmus. Privilegium etiam Innocentii VIII non de omnibus Abbatibus benedictis, sed de Cisterciensi et quatuor aliis loquitur. Alexander III etiam, in dicto capite primo, solum indefinite dicit, *hujusmodi ordines a non Episcopis, quandoque conferri.* Non est etiam dubium quin Abbates Sancti Benedicti habeant hoc privilegium. Idem de Abbate Camaldulensi, et aliis; hinc ergo vel usu, vel expressa concessione, extensa est hæc potestas conferendi omnes minores ordines ad omnes Abbates benedictos, ex vi suæ benedictionis.

24. *Resolutio negativa quoad sacros ordines, saltem post Tridentinum.* — Additum præterea est, ab Innocentio VIII in dicto Indulto, ut Abbas Cisterciensis, et quatuor principales Abbates ejusdem ordinis possint etiam diaconatum et subdiaconatum conferre. De qua commissione controversia est inter Theologos, an possit a Papa fieri, ut in materia de Ordine tractandum est; nunc autem factum tanquam certum supponimus, et ideo credimus jure etiam esse factum, quamvis in ratione et modo explicandi hoc jus possit esse varietas, de qua suo loco. Verumtamen privilegium hoc quoad hanc partem revocatum esse per Concilium Tridentinum, sentit Navarrus, consilio decimo tertio, de Privilegiis. Nam sessione 23, capite 8, de Reformatione, statuit Concilium, ordinationes sacrorum ordinum a proprio Episcopo faciendas esse; unde significat solos Episcopos posse Ordines sacros conferre; illud vero caput non multum urget; nam, ut ex contextu constat, et a Congregatione Cardinalium declaratum est, caput illud, etiam in minori-

bus ordinibus locum habere. Majus indicium est, quod in capite decimo, cum de ordinatione Abbatum loquitur, solum tonsuram vel minores ordines respectu subditorum monachorum eis permittit; et capite duodecimo, Episcopis tribuit curam eligendi et examinandi dignos ad sacros ordines, et subdit: *Regulares quoque, nec in minori ætate, nec sine diligenti examine Episcopi ordinantur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis*; ergo vult Concilium ut regulares ordinari non possint in sacris, nisi ab Episcopis, et revocat privilegia contraria, quale erat hoc, de quo tractamus. Quæ sententia Navarri mihi placet; nam, licet (ut ipse etiam putavit) revocatio illa non sit tam expressa, quin possint conjecturæ illæ dissolvi, nihilominus privilegium illud adeo est exorbitans, ut ejus revocatio etiam tacita, et insinuata tantum, admitenda sit. Videtur enim Concilium consulto noluisse expressam mentionem privilegii facere, sed tacite illud præterire, ne videretur illud tanquam validum recognoscere (quod controversum est), sed simpliciter statuit, et supposuit quæ in privilegio repugnabant, addita solum generali revocatione, per quam hoc etiam privilegium revocatum intelligitur. Quod etiam sensit collector compendii Privilegiorum Ordinis Cisterciensis, hoc privilegium omittens.

25. *Eadem resolutio valet a fortiori pro Abbatibus triennialibus.* — Unde multo certius est Abbates non benedictos et triennales non gaudere hoc privilegio, quibus solum conceditur ut possint subditos suos clericali characterè insignire, prout poterant perpetui Abbates, sub quibus generalibus verbis certum est, tam singulare privilegium non comprehendere, maxime, quia illud commune non erat omnibus perpetuis Abbatibus; ibi autem solum conceditur quod omnibus commune erat. Unde certum existimo, etiam ante Concilium Tridentinum, hoc non potuisse. De aliis vero quatuor minoribus ordinibus contrarium dicendum est, etiam de his Abbatibus non benedictis, ratione illius privilegii; nam, licet verbum *character clericalis* sufficienter posset in sola prima tonsura verificari, tamen ex se ad illa non limitatur, et ideo convenienter extenditur ad omnes ordines minores, ad quos saltem ex consuetudine extendebatur potestas perpetuorum Abbatum, quibus quoad hoc triennales æquiparantur.

26. *Objectio contra nunc dicta, non recte evaditur a quibusdam.* — Vera evasio. — Sed

objici potest capitulum *Abbatibus*, de Privilegiis, in 6, ubi solum permittitur Abbatibus primam clericalem conferre tonsuram, per quod videtur etiam antiquum jus limitari. Nonnulli volunt extendere textum illum ad omnes minores ordines, ut videre licet in expositoribus, et aliis, quos refert Sylv., v. *Ordo*, 3, q. 2. Sed plane repugnat proprietas litteræ; nam prima tonsura clericalis proprie significat solam illam, ut a propriis ordinibus distinguitur. Et ideo dicendum est, in illo textu non præcipue disponi de ordinibus quos possunt Abbates conferre, sed de personis quibus possunt eos conferre, et quoad hoc ampliabat textus ille jus antiquum (ut dixi) ad quoscumque subditos Abbati habenti jurisdictionem Episcopalem, etiam seculares. Igitur ratione hujus ampliationis solum primæ tonsuræ mentionem fecit, quia quoad omnes illos subditos noluit illi Pontifex majorem potestatem dare; si tamen aliunde habeatur, non abstulit illa; nullum enim verbum revocatorium quoad hanc partem addidit. Eo vel maxime, quod privilegia, quæ minores ordines concedunt, posteriora sunt, et consuetudo etiam id semper obtinuit.

Decima quæstio, an in privilegio ordinandi communicent alii religiosi.

27. Ultimo dubitari potest utrum Prælati aliarum religionum per viam communicationis gaudere possint hoc privilegio; et ratio dubitandi est, quia Prælati Mendicantes, v.g., communicant non solum inter se, sed etiam cum religionibus monachalibus, ut constat ex variis privilegiis quæ in eorum compendiis referuntur, verb. *Communicatio*; sed hæc facultas conferendi ordines minores pertinet ad unum ex privilegiis Apostolicis; ergo in illo etiam communicabunt. Patet consequentia, quia verba Pontificum generalissima sunt, ut constat præcipue ex privilegio Clementis VIII Minoribus concessio, in quo inter alia dicitur, *omnibus facultatibus et gratiis, nostræ professionis regularis observantiæ non contrariis, aliis ordinibus quibuscumque non Mendicantibus quomodolibet concessis, et in omnibus, et per omnia, perinde ac si nobis concessa specialiter fuissent*; ubi hæc potestas comprehenditur sub nomine facultatis et gratiæ, maxime cum illa ampliatione, *in omnibus, et per omnia*. Nec talis facultas repugnat institutis aut regulari observantiæ religionum, quæ monachiales non sunt. Cur ergo Prælati earum non participabunt hanc potestatem, cum sint vere

Prælati, et æqualem habeant in suos subditos jurisdictionem Episcopalem, et consequenter in re ipsa habeant æqualem dignitatem, etiamsi non eodem nomine appelletur?

28. *Pars negativa probatur multipliciter.* — *Tacite objectioni occurratur.* — De hoc nihil invenio a Doctoribus tractatum; tamen, ex perpetuo eorum silentio colligo, omnes pro manifesto supponere Prælatos aliarum religionum, qui Abbates non sunt, non gaudere hoc privilegio. Idem videtur certum ex perpetuo non usu omnium religionum non monachalium; nullus enim earum Prælati hac utitur potestate; ergo signum est non agnoscere illam sibi concessam per viam communicationis. Et idem existimo etiam de canonicis regularibus, quorum instituto et procedendi modo posset facilius hæc facultas accommodari, et nihilominus non utuntur illa per viam communicationis, nisi aliquibus sit specialiter concessa. Deinde potest reddi ratio, quia hoc privilegium adeo speciale est, ut sub generali clausula non censeatur comprehendere. Item, quia non est ex his privilegiis quæ pertinent, vel ad spiritualem utilitatem, vel ad conveniens regimen religionis, sed potius ad quamdam dignitatem et præminentiam talium Prælatorum, quæ non videtur ita accommodata statui aliorum religiosorum, præsertim mendicantium; et ideo non censetur ad illam extendi communicatio. Denique, quoties jura loquuntur de inferioribus Prælati, quibus hæc potestas ordinandi communicata est, semper loquuntur de illis sub nomine *Abbatibus*, quod est signum, per eam vocem, in jure significari peculiarem dignitatem, quam non habent Prælati aliarum religionum, qui hoc nomine non vocantur. Et ideo in hac potestate non communicant; præsertim quia ex se et ex primæva institutione postulabat hæc potestas benedictionem ipsius Abbatis; et licet specialiter commissa postea sit Abbatibus non benedictis eorumdem ordinum, id solum fuit quia eis quodammodo erat debita benedictio, ne omnino privarentur commodis ejus. Prælati vero aliarum religionum per se nullam habent benedictionem, et ideo nec ex jure communi habent hanc potestatem, neque illa specialis concessio facta Abbatibus triennialibus ad illos spectat, etiam per communicationem. Cujus signum etiam est, quia neque aliis insigniis dignitatis uti possunt, scilicet mitra, baculo, etc., neque ad hoc privilegium extenditur communicatio, quia revera non est res accommodata aliis institutis; ergo multo minus extendetur

ad potestatem ordinandi, cum hoc ministerium sine Pontificalibus insigniis perficere non possint.

CAPUT XXX.

DE POTESTATE EORUMDEM PRÆLATORUM AD RES AUT VESTIMENTA BENEDICENDA VEL CONSECRANDA.

1. *Notationes pro decisione.* — Sciendum est quædam ex his jure communi concessa esse simplicibus sacerdotibus, ut est aquæ aut panis benedictio, de quibus in Missali ordinario mentio fit, et de his hic non tractamus, quia supponimus Prælatos, de quibus agimus, esse sacerdotes, et eo titulo posse quidquid possunt sacerdotes simplices; alia vero sunt propria Episcoporum jure ordinario, ut sunt consecratio calicis vel altaris, et benedictio sacrarum vestium, et de his est in præsentis sermo. Est tamen ulterius advertendum, quasdam ex his benedictionibus fieri adjuncto chrismate, ut calicis, vel aræ, aliæ vero per simplicem orationem, et aspersionem aquæ benedictæ. Tandem supponendum est, quamvis jure ordinario hæc non convenient nisi Episcopo consecrato, nihilominus per Summum Pontificem posse regulariter committi Presbytero. Dico *regulariter*, quia de quibusdam dubitarunt aliqui, ut de confectioe chrismatum, et de benedictione olei infirmorum, an scilicet possint ex delegatione Pontificis ita confici aut benedici a simplici sacerdote, ut sit sufficiens materia sacramentorum Confirmationis et Extremæ-unctionis, contra quos dictum a nobis est in tertio tom. 3 part., disp. 33, sect. 2, et 4 tom., disp. 40, sect. 2. Sed in illis est specialis ratio propter ordinem ad sacramentum, cujus materia et minister sunt de jure divino; relictis ergo illis materiis, quæ ad sacramenta pertinent, de cæteris benedictionibus ad sacramentalia tantum spectantibus, certum est posse Pontificem illas committere simplici sacerdoti, quia, cum omnia sint immediate ex institutione Ecclesiæ, per ejusdem potestatem supremam designari potest earum minister. Unde etiam fit ut ex communi sententia Doctorum multum in his posset valere consuetudo, præsertim quoad simplices benedictiones, quæ sine unctione chrismatum fiunt.

2. *Assertio bipartita.* — *Dubium circa primam partem hujus assertionis, unde ad Abbates manaverit hæc potestas benedicendi.* — *Manasse ex consuetudine quidam aiunt.* — *His positis*